



M. 2, 255²

cat. 2, 518.

ORATORVM NOVORVM

P I C A

CVM REMEDIO.

SCHEDIASMA


AD VINDICANDAM

VETVSTAE ELOQVENTIAE

DIGNITATEM AC PRAESTANTIAM

PUBLICAVIT

SCIPIO GRATIDIANVS.




VITEMBERGAE, CIOIOCCXXVI.

SVMMARIVM.

- | | |
|--|--|
| <p>§. I. Veteres non nimis venerandi sunt.</p> <p>§. II. Neque tamen contemnendi.</p> <p>§. III. Corruptum de veterum praeceptis eloquentiae iudicium.</p> <p>§. IIII. Veterum libri verae eloquentiae fontes.</p> <p>§. V. Eloquentiae studium in antiquarum rerum publicarum formis summe necessarium.</p> <p>§. VI. Ciceronis orator perfectus.</p> <p>§. VII. Eloquentiae una, constans, & certissima ratio, idemque fons.</p> <p>§. VIII. Omnes eloquentiae corruptelae a neglectis veterum scriptorum fontibus deriuandae.</p> <p>§. VIIII. Veteres dicendi magistri in scholas & academias reducendi.</p> | <p>§. X. Ratio dicendum forma reip. non mutata, itemque de triplici causarum genere.</p> <p>§. XI. Rhetorica est ars. De persuasione rhetoricae sine.</p> <p>§. XII. Ciceronis praecepta sunt necessaria, eoque optima & utilissima.</p> <p>§. XIII. De tropis & figuris in libellis rhetoricis agendum est.</p> <p>§. XIIIII. De aliis, quae oratores novi taxant.</p> <p>§. XV. Ratio eloquentiae oratorum novorum.</p> <p>§. XVI. Remedium morbi, quo oratores novi laborant.</p> <p>§. XVII. Finis libello imponitur, & obiter de Hefticandri scripto expectando fit mentio.</p> |
|--|--|

Bon II d 232





S. I.

Non ita venerandi sunt antiqui, vt ab eorum effatis discedere nefas ducamus. Homines fuerunt, periculo errandi pro humanae conditione sortis expositi. Et lapsos omnino fuisse, nemo, qui scripta illorum paullo inspexit curatius, negauerit. Quamquam errata eo lubentius condonari iisdem, par est, quod non tanta, quanta hodie esse solet, litterarum lux illorum tempora & ingenia collustrarat. In nullius ego verba magistri iuro, a partium & sectarum studio alienissimus; Aristotelem tamen summum suo tempore philosophum fuisse, magnum hodieque esse, libere pronuntio. Non ignoro, contemni illum a paruis ingeniis, & negligi; corrupte tamen tales homunciones iudicare, nec legisse vnquam, multo minus intelligere eius libros, scio. Errauit multa Aristoteles cum aliis priscae temporis philosophis, sed iis, quae nunc habemus, bonarum litterarum subsidiis destitutus errauit. Aetas nostra magnum prouentum philosophorum attulit, vigent litte-

A 2

rae;

rae, studia sua quisque fere profert. Immo
 FABRI, qui cum Vulcano & Cyclopibus fer-
 rum exercere in antris debebant, res tra-
 ctant philosophicas, callosisque manibus
 bellas Veneres contrectant. O saeculum
 sapiens & felix! Adeste omnes, ac musteis
 philosophis, qui soli nunc plus, quam
 omnes omnis aetatis sapiunt, &, quum le-
 pores sint, non quaerunt pulpamentum,
 plaudite de tanto sectatore. Isti adhuc eos,
 quibus noua philosophandi ratio placuit,
 maximis extulerunt laudibus, *Confucii sui &*
Sinensium sapientiam celebrarunt sermoni-
 bus, iactarunt se studio Treuoltiensium,
 quos sinceros verae philosophiae cultores
 temere putant & imprudenter, aliosque,
 quos animaduertebant a partibus suis stare,
 citarunt ac praedicarunt, ad sensu eorum ela-
 ti. Quid nunc demum fiet, postquam de FA-
 BRO isto audiuerunt, si tam sordidum soci-
 um in coetum suum non fastidiose recepe-
 rint? Vetus verbum est: similis simili gaudet;
 sed ego vereor, ne tota res in risum tandem
 euadat. Vos vero agite, o bonae Musae, quod
 vestrum est, curate litterarum salutem, resi-
 stite pesti, dedecus auertite, date operam,
 ne quid res vestra detrimenti capiat. FABRO
 quid cum philosophis rei est? Mentulam
 ergo

ergo istum, quum in montem vestrum adscendere audebit, furcillis praecipitem eicite.

§. II.

Neque tamen veteres, quos lapsos interdum esse animaduertimus, contemnendi sunt aut reiiciendi, sed ob multa, bene excogitata & recte dicta, legendi, magnique aestimandi. Vias aperuerunt, in quibus nunc expeditius multo & tutius progredimur. Multa sciuerunt forte, quorum aetas nostra ignara est. Inuenerunt non pauca, quae, recentioribus temporibus nouo quasi habitu induta, iterum in scenam producta sunt. Proinde ingrati animi se contaminaret crimine, si quis veteres tantorum meritorum immemor indigne tractaret. Sane quibus multi se exornarunt, si iis a veteribus eriperentur pennae, haud leuem cum graculo apud fabulatore Thracem contumeliam experturi essent. Multa, in quibus nihil taxare possis, apud antiquos philosophos reperiri, omnes cordatiores fatentur. Saepe ego saeculi nostri vicem doleo, quo medicis Hippocrates, Galenus, Celsus sordent. Non intelligunt medicorum illos apud antiquos principes, immo ne legunt quidem, quamuis forte pauci possint. Graeca aequae ac latina

tina multi ignorant. Reperias, quibus fa-
 cile persuadebis, Galenum latine, Celsum
 arabice scripsisse. O saeculum insipi-
 dum & ignauum! Wedelius, Ienen-
 sium olim medicus, cuius famam nulla vnquam
 delebit obliuio, tanti aestimauit Hippocratis
 aphorismos, vt secum semper ferret, memo-
 riaque teneret omnes. Sed rari quippe boni.
 Nunc ex Gallulis sapiunt Teutones nostri,
 vel tales sibi quaerunt, ex quorum libris, ser-
 mone vernaculo scriptis, possint erudiri.
 Hunc enim vsum omnino libros istos prae-
 stare clamant, vt ex opilionibus & malis su-
 toribus mox fiant medici, quemadmodum
 FABROS, lectis nouorum philosophorum
 libris, teutonice lingua scriptis, philosophari
 coepisse, nouimus. O saeculum sapiens
 & felix! Ego tamen, quum in praesenti de
 arte oratoria in primis mihi sermo sit, sic sta-
 tuo, si quis velit ad veram eloquentiam per-
 uenire, ei veteres euoluendos, quaeque ii
 tradiderunt, praecepta in vfu habenda esse.

§. III.

Abhinc paucos dies quum Ciceronis
 librum de senectute legebam, in verba ex
 Naeuio adducta incidi:

*Proneniebant oratores noui, stulti, ado-
 lescentuli,*

qui-

quibus percontanti , qui respublica tanta tam cito amissa sit, respondetur. Prorsus me delectauit vere & pulchre dictum, quod facies nostri temporis ante oculos obuersabatur. Proueniunt nunc oratores noui, qui soli sibi placent, veteres contemnunt, immo Aristotelem ipsum & Ciceronem rident. Lepidos effingunt libellos de *philosophica & emendata oratoria*. Multa sibi apud veteres inuenisse videntur, quae reprehendant & damnent. Scilicet quae non intelligunt, de iis iudicare volunt, quae non possunt ipsi facere, verbis eleuant, quae nunquam didicerunt, alios docere audent. O saeculum insipidum & inficetum! Non emendant isti homunciones artem oratoriam, sed corrumpunt, propterea quod, spretis antiquis & veris eloquentiae fontibus, ad turbidos riuulos currunt.

§. III.

Ego semper cum doctissimis hominibus & viris harum rerum peritissimis iudicavi, tanto meliores esse oratores, quanto propius ad eloquentiae veteris accederent exemplar, eumque multum profecisse, cui Cicero, perfectus, si quis vnquam exstitit, orator, valde placuerit. Et maximae omnino sunt grauissimaeque rationes, quibus adductus ira sentio. Veteres

enim non solum hanc artem praeceptis, summo studio singularique laude conformatis, perpolierunt, sed exemplis etiam atque ipsa dicendi facultate ita probatam nobis tradidere, ut admirari eos, quam imitari, sit facilius. Antiquorum Graecorum ac Latinorum monumenta cedro digna qui cum cura euoluerit, nae ille tantam doctissimorum illorum hominum, quam in eloquentia posuerunt, diligentiam deprehenderit, ut nimia paene possit videri. Hanc igitur veterem elegantiam, hanc solidam doctrinam capessamus oportet, & teneamus, si homines vere eloquentes existere velimus. Nominare, si opus esset, singulos possem, qui ex utraque olim gente de arte bene dicendi, tradendis praeceptis, immortaliter meriti sunt. Eos tamen qui pernoscere cupit, illi praestantissimam commendo praefationem, quam academiae nostrae ornamentum, immo immortale Germaniae decus, Io. Guilielmus Bergerus, excelsi vir ingenii, vetustaeque elegantiae quam perspicax aestimator, tam acer vindex, aureo suo operi *de naturali pulchritudine orationis* praemissit.

§. V.

Quo maior artis oratoriae pro statu rerum publicarum veterum utilitas fuit ac neces-

necessitas, eo vehementiori studio optimi illi eloquentiae magistri in id incubuerunt, vt & praecepta dicendi plana essent, ac solida, & expeditus eorum vsus. In Graecia, vbi olim eloquentia maxime culta, & ad illud, in quo persistit, fastigium euecta est, ciuitates, speciatim Athenae, florebant, & imperium penes populum erat. In conuentibus igitur, publicae salutis caussa institutis, oratores prodibant, qui de rebus maximi momenti, de legibus, de magistratibus, de pace denique ac bello verba facerent. Hic arte opus erat, prudentia & circumspeditione, vt & fine, quem quaerebant, potirentur, & rebus ciuitatum consulerent. Atque etiam in foro & iudiciis amplissimus fuit vsus eloquentiae, vbi subinde lis non de capellis agitabatur, sed de vi, de caede, de veneno, vbi vel furciferi & bipedum nequisissimi accusandi, vel innocentes, quorum vita & salus in discrimen adducebatur, defendendi erant. Non dissimilis erat ratio reipublicae romanae. Ipse Cicero in *oratore suo ad M. Brutum c. XLI.* in ea *primas eloquentiam tenuisse semper vrbani pacatisque rebus;* pronuntiat. Haec nimirum est eloquentia illa, quae quum cursu magno sonituque ferretur, ac vi polleat maxima, tum suscipitur

ab omnibus. Huius eloquentiae est ita tractare animos, ut omni modo permoueantur. Propterea antiquos oratores, rerum notitia probe imbutos, omnia, quae pertinebant ad scopum, sedulo considerare oportebat, omnique cauere ratione, ne quid vel loco minus idoneo, vel alieno tempore proferrent. Omnes omnis status, fortunae atque aetatis mores cognoscendi, quibus animi affectus pernoscerent, notanda omnia, quae ad aut ament homines, aut oderint, omnes denique humanae mentis recessus perscrutandi fuerunt. Omnis etiam historiae monumenta peruoluenda, ciuitatum omnis temporis spectanda erant instituta ac leges, & rerum ab imperiosis populis & regibus illustribus olim in orbe gestarum ordo perspicendus, inde ut rebus suis publicis quod conduceret, laudarent, dissuaderent, quod contra esset. Ex eo Aristotelem intelligimus recte fecisse, quod rhetoricam suam nominaret facultatem, quid *in quaque re* ad persuadendum sit maxime idoneum, videndi. Sed non placet philosophus rhetoricis recens ortis. Hi enim ventosa loquacitate, quam tamen impudentes aliis obiectant, turgidi, veterem sapientiam ignorant, nec res in orbe olim gestas ad se pertinere arbitrantur, ut qui

AURE-

auream bullam, legem istam fundamentalem notissimam, auctoritate & imperio Caroli V. confectam esse, adfirmant. Ita me hercle se cum noua sua, si diis placet, oratoria vbique dant turpiter, ab tirunculis nostris verae eloquentiae deridendi.

§. VI.

Quanta vetustae eloquentiae sit praestantia, ac quanto opere eam, quam sibi lepida ista capita fingunt, loquentiam superet, & summus ille, quem Cicero informat, orator, qualis nemo vnquam fuit, & perfectissimum, quod cogitatione complexus est, eloquentiae genus docere potest. Adfirmat eloquentiae parens, quem tantum parui homines ingenii contemnunt, se *oratore non ex rhetorum officinis, sed ex academiae spatiis exstitisse.* Immo id in primis ponit, *sine philosophia non posse effici vere eloquentem.* Exinde pluribus monstrat, qualem quantumque, quem exprimit rogatu Bruti, oratorem suum esse velit. Ut paucis rem complectar, est ipsi eloquens is, *qui in foro caussisque civilibus ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat; ad Brut. c. XXI.* vbi & ea, quae sequuntur, legi sunt dignissima. Quantum vero illud, dii immortales! est, quod Cicero, scientissimus rei illius aestimator, requirit. Quanta absolutio illa est,

est, perfectioque, quam ab oratore illo suo desiderat! Hic arrige aures, o rhetorisce. Intelligin, quantum tu quidem diuersus ab illo sis? quam longe absis a genere isto veteris eloquentiae? Tu tamen impudenter contemnis Ciceronem? Ita nimirum faciunt, quos sinistra in lucem extulit natura. Lege prius Ciceronis libros, lege, si potes, prius cum studiosis dicendi praecepta illius & orationes, quam optimum oratorem carpas. Modo ignorantiam tuam prodis taxandis veteribus. Sed nunc tandem memini, te ad *teutonicam oratoriam* viam scilicet aperire. Teutonicus es orator, quem vinulae *oratiunculae funebres* satis produnt, quas publicasti, *ut auditores tuos, quos ex ore dictantis calamo antea eas excepisse*, tibi credunt omnes, qui facundiam tuam norunt, *in posterum scribendi molestia leuares*. Tu modo fac, uti alteram decadem tui frustra ne expectent. Interim, si consilii aliquando locus est, veteres Latinos, cum primis Ciceronem, Quintilianum & Petronium diligenter & cum cura euolue. Hoc enim a te vel raro, vel negligenter prorsus adhuc factum esse, ex latinis tuis libellis, obscurorum virorum epistolis non melioribus, utpote in quibus insunt *cauponae* etiam, cognosci abunde licet. Verum

rum

rum est, quod scribis, *multos esse loquaces, paucos oratores, multos argutatores, eloquentes paucos.* Tu vero vide, si sapias, in quorum habendus sis numero. Sed redeo ad veteres. Hi non solum quid dicerent, sed quibus etiam vnumquodque verbis, quoque modo, magna cum cura spectauerunt. Inde eos omnes propemodum syllabas dinumerare & dimetiri videas. Inde est collocatio illa verborum, & orationis modus. Inde sonus ille & numerus, qui tam suauius aures permulcet, & animos tanto opere mouet. Hac enim in re nec vulgi contemnebant ad sensum, & aurium iudicio inferuiebant. Quis igitur praecepta dicendi a tantis magistris non petat? quis ab iisdem non cupiat veras, quae ad genuinam ferunt eloquentiam, vias discere?

§. VII.

Longe alia eloquentiae ratio est ac ceterarum artium & scientiarum. Illa enim non ex reconditis hauritur fontibus, nec vlla obscuritate laborat, neque vicissitudini temporum vel ingeniorum leuitati obnoxio est, sed vna semper & eadem manet, eiusque via est certissima. Naturae enim & consuetudinis, eiusque perfectissimae, qua nititur eloquentia, constans est ratio. Hanc quum homines docti & sapiente

entes considerarent, non potuerunt non certa, indubitata, & perfecta eloquentiae praecepta tradere. Quare vere potes dicere, nihil ad ea adiici posse, nec arti, si quid desit, sed ipsi naturae deesse. Viderunt nimirum isti, de quibus diximus, perfectae eloquentiae speciem quandam, & imaginem mente complexi sunt, quamuis nemo eius laudem consequutus sit, vel consequi unquam possit. Si igitur Graeci olim & Latini tantum studium in illa arte posuerunt, nec intermiserunt quidquam, quod ad eam ornandam pertineret, sicut paullo ante demonstratum est; nihil nobis hodie relictum esse sentimus, nisi ut contemptos adhuc praeae eloquentiae fontes haud segniter repetamus, & normam artis olim constitutam confirmemus. Vna semper verae eloquentiae est imago, quam dicendi arte praestantes viri quouis tempore & loco omni animo viderunt. Et falleremur turpiter, si putauerimus, ab nouellis istis rhetoricis ad ea, quae tam apte & prudenter tradita sunt, adiici quidquam, aut emendari in iis posse. Eloquentiam corrumpunt, & in barbaram quamdam & ridiculam loquacitatem commutant. Qua enim ratione illi, qui eloquentiam in rerum tumore & sententiarum vanis-

nissimo strepitu ponunt, ad eam ituris viam
 facient? Infelices sunt iuuenes, qui tales na-
 cti sunt rhetoras. Neque enim magis sapere
 possunt, quam bene olere, qui in culina ha-
 bitant. Hic omnino legendus est Petronius,
 quo homine in iudicio sine ineptiis scriben-
 di nihil est perspicacius, in *satyric.* ab initio.
 Despiciate ergo & contemnate istos, o mē,
 abiicite, verae eloquentiae studiosi, ineptos
 eorundem libellos, per vestram salutem vos
 oro. Deserite lutulentos riuos, & ad liqui-
 dos fontes redite. Cur, oblati frugibus,
 glande vesci vultis? Idem vobis mecum om-
 nes suadent, qui, quid aera distent lupinis,
 norunt. Non ita multis annis ante, quum
 Carolus Rollinus, eloquentiae professor re-
 gius, adolescentes videret peruulgatis de ar-
 te oratoria libellis ab lectione Quintilianii
 abduci, id sibi negotii credidit dari, vt vni-
 cum hunc eloquentiae magistrum illis in
 manus redderet, & Fabii de institutione o-
 ratoria libros Lutetiae Parisiorum edidit, re-
 cisit illis, quae subtiliora & perplexiora ipsi
 videbantur. Nos hic nostrum facimus
 votum Petri Burmanni, viri ad ornandas
 optimas litteras, & antiquitati pristi-
 num conciliandum decus vnice nati,
 quod

quod exstat sub finem praefationis, eiusdem editioni Quintilianiani praemissae.

§. VIII.

Omni aeuo nulla re magis, quam quod neglecti sint antiqui fontes, corruptam, esse eloquentiam, & experientia ipsa loquitur, & mecum sapientiores omnes habeo consentientes. Quum enim veteres praestantissima de eadem praecepta nobis tradidissent, non defuerunt alii, qui, desertis sanioribus & rectoribus, sibi ipsi tumidum, insulsum, ludicrum ac putidum dicendi fingerent genus, & veterum loco elegantiarum omnia ampullis, ineptiis, lusibus, ac deliriis implerent. Eo vsque tandem processum est, vt cum viris harum rerum callentibus adfirmare non dubitem, novos oratores tanto iudicandos esse peiores, quanto insolentius, reiectis antiquis, noue inuenta artis mysteria crepent. Hinc illae lacrymae, hinc tot querelae doctissimorum virorum, quas reperies in supra citata Io. Guilielmi Bergeri, viri summi, praefatione. Hi namque eloquentiae isti pesti, pro suo in bonas litteras amore, quantum poterant, restiterunt, quod deprehendebant, quo longius a priscae exemplo aetatis deflecteretur, eo maiores existere corruptelas, & omnia deprauare. Apud anti-

antiquos puri manant ac limpidi eloquentiae fontes, quos prauum nouorum magistrorum pecus turbat, atque ita contaminat, vt vix possint agnosci. Et quodcunque in noua & emendata, quam dicitant lepide, *oratoria* recte traditum est, si quid modo sit, id omne apud veteres sapientiae & eloquentiae antistites reperitur. Quorum commentarios quum paucissimi voluant, quae saeculi nostri labes est, fit, vt olim reperta & perpolita pro nouis habeantur.

§. VIII.

Deprauatam vbiuis in scholis regnare eloquentiam, clamant, qui de naeuis rhetoricae scholasticae *argute* disserunt. Non nego sane, quod nimis manifestum est; novos tamen oratores oppido falli, adparet, si vitia ista, quae digitis dinumerare scienter possunt, ex alio fonte, quam ex neglectu veterum & praeceptorum & exemplorum, fluere existiment. Haec enim quum optima sint & praestantissima, quod ex supra dictis intelligitur, tum vero prudentes illi apud veteres dicendi magistri omnia, quae reuera sunt, vitia (rhetorisci enim multa carpunt, quae sunt optima illa quidem, sed iis, antiquitatis quippe ignaris, non aequae patent) damnarunt. Id vel ex Luciani, ingenio-

B

ssimi

fiffimi vitiorum reprehensoris, cognoscitur
 libello, qui inscribitur *rbetorum praeceptor*,
 & extat *tom. II. opp. p. 438. seqq.* Si Aristote-
 les, Cicero, Quinctilianus pro nouis rhetori-
 bus in scholis, sicut decebat, lecti, & adole-
 scentum manibus triti fuissent; nullas vn-
 quam de corrupta eloquentia querelas, cer-
 te non tam graues, audissemus. Discite er-
 go, o rhetores plebei, cum pueris sapere,
 nolite in posterum Ciceronem & Quincti-
 lianum adspernari. Scholis non poterit re-
 ctius consuli, quam si noui rhetores a publi-
 ca disciplina relegentur, & veteres in scho-
 las reducantur, ex quibus partim ignorantia
 aliqua, partim errore, ambitione partim,
 partim auaritia nostris & superioribus tem-
 poribus profligati sunt. Quare maxime pro-
 bandi prudentes scholarum magistri, qui
 quum ipsi in antiquorum libris probe versa-
 ti sunt, tum adolescentulorum fidei suae
 concreditorum ita inseruiunt commodis,
 vt ex veteribus & praecepta & exempla elo-
 quentiae petant. Bene agitur cum iis scho-
 lis, quarum alumni non pessimum quem-
 que de nouis, sed optimos veterum, Cice-
 ronem praesertim & Quinctilianum, vel
 certe tales, qui ex eorum fontibus riuu-
 los suos haud inquinatos deduxerunt,
 legere,

legere, & ad imitandum sibi proponere mature consuescunt. Saepe numero soleo mirari, quid sit, quod tam corruptus hominum nostrorum gustus sit, vt, adposito pingui turture, lactucis & cochleis vescantur. Non desunt optimi libri, in quibus vera eloquentiae imago, ab antiquis, quos saepe laudauimus, auctoribus efficta, proponitur. Hi sunt in scholis tractandi, optimeque commendandi iuuenibus. Namque ex paucissimis eorundem paginis plus doctrinae in succum sanguinemque incorruptum, quo alatur eloquentia, conuertendae, quam ex nouis magnae molis voluminibus, ad *oratoriam emendandam* (immo vero corrumpendam) comparatis, quorum pretium stultitia auget, depromi potest. Bene de scholastica iuuentute vel ideo meritis est Iacobus Burckhardus, vir incorrupto pollens iudicio, & antiquae scientissimus elegantiae, quod *elementarhetoricae Aristotelis ab Andr. Godefr. Ammone excerpta* aliquot abhinc annis in usum gymnasii Hildburghusani denuo in lucem ediderit. Cuius institutum vtinam alii scholarum magistri sequi vellent! Plura nunc non addo, sed auctoribus *emendatae oratoriae*, vt cautius iudicare discant, iterum iterumque commendo antea iam

nominatam elegantissimam Bergeri praefationem.

§. X.

Sed audiamus profecto, quid noui *rebetoricae emendatores* in veteribus reprehendant. Nimirum vt iure contemnere Aristotelem & Ciceronem videantur, esse in antiqua eloquentia, quae sibi displiceant, nouarum laudatores inscriptionum & artifices argutarum prae se ferunt. Quae dum ego profero, caute vobis, lectores sophi, ne rideatis effusius. Ridicula enim vobis narro. Aristotelem & Ciceronem praeceptis, quae tradiderunt, ad vsitatam in rebus suis publicis eloquentiam homines formare, nosque hodie agere temere contendunt; quod eorundem sequamur regulas, quum forma nostrae reipublicae aliam dicendi rationem postulet. Nihil eos, qui rem recte aestimant, talia mouent. Praecepta eloquentiae, si vera sint & sana, in quauis reipublicae forma, siue vnus nutu gerantur omnia, siue penes optimates imperium sit, siue libertate vtatur ciuitas, valent. Cicero sicut & voce & scripto pristinam libertatem strenue adferebat; ita tempori callidissime inseruiens verba fecit, quibus ad ineundam a Caesare, cuius dominatum omnes tum formida

midabant, gratiam excogitari nihil potest aptius. In hoc enim prisca, quam noui fastidiunt oratores, eloquentia regnat, vt de re omni quouis tempore & loco omni apte perorare possis. Verum est, triplex illud causarum genus ad rempublicam respiciebat, verum tamen sapientes illi rhetoricae magistri, considerata humanae naturae ratione, communia dederunt praecepta, quibus omnes, qui vellent apte dicere, adiuuantur. Ceterum scire peruelim, quaenam sit ista eloquentia, per quam recentiori tempore vitia veterum correcta sint? quinam sint isti emendatores? Forte sunt venustuli isti Galluli, quibus nihil placet, nisi quod papaueret & sesamo sparsum sit, vel acumina contineat, & vocabulis, quae pugnent inter se, pulchre iunctis constet? Forte etiam tu ipse es, acutissime argutiarum artifex, qui nunc quidem *teutonicam oratoriam emendasti?* Certe libellus feret aetatem, & posteritas tibi gratias habebit, quod Aristotelem & Cicero- nem tanto, quo tibi ipse places, iudicio notasti. Neque tamen te possum non laudare, quod candide fatearis, plurimos, emendare eloquentiam conatos, corrupisse. Ita est, quod multi voluerunt, pauci potuerunt. Posses hic comme-

morare recentissimum exemplum; sed, quod tibi iam notum est, ad cetera mox pergo. Prius tamen hoc adiicio, praecepta rhetoricae, si vera sint, & hoc nomen mereantur, in omnibus linguis, apud omnes gentes locum habere. Quid igitur est, quod de *emendata teutonica oratoria* lepidos libellos scribant?

§. XI.

Quid tibi in mentem venit, noue orator, quod oratoriam artem esse neges? Tu certe mirus es nouarum elegantiarum artifex. Scilicet prudentia, inquis, est rhetorica; ergo non ars. Acute profus, & secundum regulas nouae logicae. Tu vero noli *consequentiam neçtere*. Quodnam illud crimen est? inquis. Ego nullum video crimen: non culpo *consequentiam*, quod noui metaphysici faciunt, sed culpo vitiosam *consequentiam*. Rem tibi, si lubet, explicabo. Si quis regulas, quas tradit oratoria, ita ad vsum transferat, vt (liceat exemplo, quo forte delectaris, vti) *parentationem*, quae cunctis lacrymas cieat aniculis, excudat, ars illa omnino est. Ergo non est prudentia. Nihil impedit. Et artis opus est lepidam *parentationis* & prudentiae, quod eius auctor secundum *emendatae oratoriae* regulas eam conficit, ita quidem, vt sibi ipse consulat,

lat, & plaufum moueat. At vero fuae cui-
 que arti funt regulae certae, a quibus nun-
 quam difcedas. Ita eft, fed quod rhetoricae
 tales non effe regulas, putes, multum falleris.
 Ea, quae prifca tradit rhetorica, praecepta
 vera funt, certa, folida, ex fine eius deducta,
 ideoque femper obferuanda, fi fcopo tuo po-
 tiri cupias. Fateris tu quidem, oratoris effe,
 ad finem omnia prudenter adcommodare,
 & tamen regulas rhetoricae certas effe ne-
 gas. Scilicet nescis, quid dicas vel fcribas:
 quidquid in buccam venit, garris. Lege Pe-
 tri Burmanni, cuius auctoritate libenter
 hac in re vtor, praefationem antea lauda-
 tam, vbi alia inuenies omnia. Ad finem rhe-
 toricae, qui a veteribus in perfuafione con-
 ftituitur, quod attinet, eum non reprehen-
 dunt, qui apud veteres maximum eloquen-
 tiae vsum in habendis ad populum orationi-
 bus, tum vt erat ftatus civitatum, fuiiffe, con-
 fiderant. Populus enim fi argumenta
 certa ac firma non capiat, quod faepe
 fieri folet, eius animos veri fimilibus mo-
 veri oportet. Et tantum abeft, vt ora-
 tor, ingeniis hominum inferuiens, pec-
 cet, vt potius, modo alia fe recte habe-
 ant, prudenter agat, & laudem mereatur.
 Hic obliuifceris, nouelle rhetor, quod

alio loco de oratoris prudentia praecipiti.

§. XII.

Iam rhetorica Aristotelis & Ciceronis praecepta incufas. Scripta eorundem multa adfirmas continere inutilia, & ad affectatam eloquentiam pertinentia, quin & inepta ac talia, quae non possint in usu haberi. Est illud quidem calumniari. Proba, si vir es, *quod tibi omnino incumbit*. Tu nunquam legisti, quos taxas: id enim ingenii tui foetus, quos orbi litterario obtrudis, & libri, quos emittis, sribliginibus non paucis referti loquuntur. Eos, qui opinionibus praesumptis ducti, nihil elegans, nisi quod corrupti saeculi moribus conueniat, putant, sine causa sequeris. Venite, elegantissimae feminae halenses, sapientissimae perditum moris magistras, venite, & capillos homini legite inuicem, ut caluus repente factus a spectantibus rideatur. Sed redeo ad rem. Tullius est Tullius, (noli, vir elegans, mihi irasci schemate utenti) siue rhetorem agit, siue oratorem. Praecepta sua ob oculos habebat, quotiescunque vel in senatu, vel ad populum verba fecit. Neque id facere non poterat, alias inepte dixisset, quod de Roscio in arte sua vel cogitare stultum est.

§. XIII.

§. XIII.

Restant alia *nugamenta, nugamenta, nugamenta*. Licebit enim, spero, epizeuxi novum in morem vtar. Quenam sunt illa? inquis, mi lector. Certe sunt sesquipedalia. Mox proferam, ea tamen conditione, vti tu risum teneas. Tropi & figurae nihil sunt. Varia enim loquendi ratio omnibus innata. Relegant hanc doctrinam ex *emendata* sua *oratoria* oratores novi. Quid? relegant isti homines? etiam: rationem iam dixi. Rem isti illustant simili. Edere & bibere, inquit, non discimus ex libris, ergo nec tropos & figuras. Sophos. Igitur in posterum doctrina de syllogismis ex *emendata* logica eiicienda est. Cur? inquis. An ita stupidus es, vt rationem non animaduertas? Est naturale ratiocinari, sic, vt rustici, & si quibusdam credimus, canes syllogismos faciant. At vero doctrina & ars adiuuat naturam & confirmat. Rem, quia similia placent, illustro. FABER, de quo sub initium diximus, si in officina inter sordidos socios talis euasit, vt de rebus maximi momenti iudicare auderet; quid tum demum factum fuisse putamus, si operam dedisset philosopho, qui tantum strepitum vbique nostra excitauit aetate ista sua philosophia, quam ita osten-

tat impudenter, vt de charlataneria decla-
 mationes raro aliquando exemplo augere
 possit? Esto, troporum & schematum vsum
 ab natura fere suppeditari; longe tamen
 aliud est, si Cicero orationem suam iis ornet,
 ac si rusticus, vel anicula, vel, si mauiis, orator
 nouus iis vtatur. Veteres quum ipsi lumini-
 bus his orationis & sententiarum ornamen-
 tis apte vtuntur, tum genuinum, sanum, ac
 sobrium eorundem vsum docent, quem sa-
 ne pueri atque adolescentuli non vbiuis no-
 runt. Quin etiam *emendatae oratoriae*
 auctores figuras, quoque nituntur, funda-
 mentum haud intelligere, lepida, quae ad-
 ferunt, monstrant exempla. Visne vnum, o
 lector? dabo. Corydon per plateas ambu-
 lat, clamitans, **fauffe Citronen! Citronen!
 Citronen!** en epizeuxin. Hic nihil addo,
 quum hoc exemplum pulchritudine sua se
 facile commendat. Sunt & alia exempla, ibi-
 dem adducta, satis lepida. Iisdem *metapho-
 ra*, exempli gratia, *icon*, & *simile* vnum est
 atque idem; sed ignorantiam suam produnt
 turpiter. Multum temporis subinde incul-
 candis tropis & schematibus perdi, fateor, i-
 deo tamen neque ex scholis, neq; ex libellis
 rhetoricis ea relegare oportet. Libere adhuc
 excellentissimo iudicio viri, quos propter-

ea probo ac laudo, naeuos rhetoricae, quae passim in scholis regnat, tetigerunt; sed ea, qua decet, modestia vsi, nec scholasticis illudere, nec ea, quae vsum omnino habent, damnare ausi sunt. Memineritis, o rhetores, rhetores, per abusum non tolli vsum. Praestantissimi viri semper eam doctrinam in rhetorica proposuerunt, nec in posterum quisquam, qui cerebrum non in calcaneo gerit, argutam vestram *uolow* morabitur. Legite Fabium l. VIII & VIII, vt ineptire tandem desinatis.

§. XIII.

Nondum finis, quas agunt homines isti, nugarum est? Immo vero multa restant, quae oratores noui reiiciunt. *Pedantismum* semper in ore habent, scribunt de *pedantismo boemileticae artis, oratorio, parentatorio*, cet. quos *flagella pedantismi* haud inepte dixeris. Sed nesciunt homunculi isti, quod res est, se totos ex hoc vitio compositos esse. Alios contemnunt, fastidiunt, reprehendunt, sed non vident, manticae quod in tergo est. Scilicet arrogancia est summa pedantismi. In promptu est exemplum aliud minuti oratoris, qui tantum sibi arrogat, vt credat, eo, quem effinxit, more ipsas loqui Musas; at nolo crabrones irritare. Multa in doctrina de
 thema-

thematibus, de argumentis, de actione oratoris, de locis denique dialecticis, occurrentia *reformatores* litterarum rhetoricarum notant. Quibus nunc quidem immorari non vacat. De locis dialecticis tantum Ciceronis verba notatu dignissima adscribo: *facile hic nosler orator (non enim DECLAMATOREM ALIQUEM DE LVDO, aut rabulam de foro, sed doctissimum & perfectissimum quaerimus) quoniam loci certi traduntur, percurret omnes, vtetur APTIS generatim, discet, ex quo emanent etiam, qui communes apellantur loci. Nec vero vtetur imprudenter hac copia, sed omnia EXPENDET & SELIGET. Non enim semper, nec in omnibus caussis, ex iisdem eadem argumentorum momenta sunt. IVDICIUM igitur ADHIBEBIT; nec inueniet solum, quid dicat, sed etiam EXPENDET; ad Brut. c. XV. Sapienti fat. Sed oratorum nouorum oratio in ore nascitur, non in pectore.*

§. XV.

Nunc ad finem nobis properandum est. Quae igitur ista tandem est eloquentia, de qua oratores noui tanto verborum strepitu se iactant? Meditationem vbi-que desiderant, hanc laudant, hanc commendant. Recte. Quenam autem & qualis est illa meditatio? Explicabo paucis.

cis. Acumina ostentant, minutas argutias confectantur, iungunt contraria, lepores vndique conquirunt, leues atque inanes sonos aucupantur, verborum lusus λογολαϊδαλοι amant. Frigidæ crebraeque sententiae in iis dominantur. Nihil hic est naturalis pulchritudinis, nihil sani coloris. Deest omnis vetusta elegantia. Nervis ac viribus tota oratio caret. Suspicit nemo, nemo miratur. Sunt in manibus *parentationes*, ex quibus statim tibi, qui argutiis delectaris, *nihil & aliquid* promam. Lege, si placet, & mirabere. Illud hic lepidissimum est, oratorem nouum etiam *orationem suam nihil esse*, fateri, in quo cum doctis omnibus me facile habebit consentientem. Haec eadem caussa, ni fallor, est, vt cum Trimalchione apud Petronium exclamet:

*Heu! heu! nos miseros, quam totus
bonuncio nil est!*

Si vos, qui ex Naeuii ludo nobis innotuistis, oratores, dulcia Senecæ vitia adeo delectant, sciatis, argutuli, fatente Emanuele Thesauro, cuius nomen vobis non ignotum esse potest, a nemine, quam ab Aristotele, argutias melius doceri. Hunc tamen contemnitis. Videre, quantum admittatis facinus: Quare nec mirum est, argutias vestras parum continere acuminis. Memini, quod non ita pridem

dem familiaris quidam mihi retulit. Acutum, quem mihi nominauit, oratorem, vegrandi macie torridum, caeruleis ac vulpinis oculis, Campano supercilio ac regio spiritu hominem, adfirmabat, quum de re, quam auditoribus suis sub finem anni optare posset, multa fecisset verba, tandem dixisse: *vobis & nihil & omnia opto, nihil, quod noceat, omnia, quae possint iuuare.* Apollinem cum Pallade omnibusque Musis iratum habeam, si quid acuminis sentiam. Quod si haec eloquentia virilis est, scire peruelim, quae muliebris sit. Familiaria sunt acumina legenti mihi acutulos libellos.

§. XVI.

Prima est ad salutem via nosse morbum. Agnoscite, oratores noui, morbum vestrum, vt vobis *medeatur.* Remedio vtimini, vt ad sanitatem perueniatis. Remedium vnicum est, vt, spreta vestra noua & corrupta eloquentia, vetustam discatis, colatis, ametis. Deferite putidos lacus, & ad perennes ac sanos fontes festinate. Nolite in posterum veteres contemnere, Graecos & Latinos, qui soli sciuerunt recte loqui, nocturna diurnaque manu terite legendo, abiectis aliis curis, vobis non conuenientibus. Ante omnia legite Priscianum, &, si quos nostis alios, grammaticos, vt, qui adhuc

adhuc non fuistis, idonei reddamini sine vitiis grammaticis *scribendi*. Neque enim irasce-
mini, oratores noui, me, noua uestra latinita-
te utentem, vos adloqui. Priscae elegantiae,
virilique, quam veteres vobis monstrant, elo-
quentiae rectum statuite pretium. Ex rheto-
ribus antiquis praecepta & regulas eloquen-
tiae discite, & ab oratoribus prisca temporis
exempla petite ad imitandum. Euoluite et-
iam eorum libros, qui ad legendos recte & in-
telligendos veteres auctores viam muniunt,
& antiquam eloquentiam saeculo nostro
commendant. Sic, confirmato demum iudi-
cio, ad haec sacra, quae impuris manibus ad-
huc contrectastis, redite, & seuera lege profi-
cite. Tandem memineritis, ad exemplum
tantorum prisca aevi oratorum cum elo-
quentia, qua nihil maius est, sapientiam con-
iungendam esse. Haec enim facit, ut orator
vbiuis bene & apte dicat. Mihi, o cara capita,
si velitis succensere, profecto propriam salu-
tem odistis. Medicus ego sum, qui ad sanio-
rem *negotium* reducere vos laborat.

§. XVII.

Haec ea libertate, qua *emendatae reu-
tonicae oratoriae* auctores in contemnen-
dis, quos non intelligunt, antiquis vsi
sunt, monere visum est. Plura addere
potuis-

potuiffem, quod & argumenti dignitas requirere videbatur. Placuit tamen libello modum dare. Forte deinceps oratores noui occasionem fuppeditabunt de eodem aliisque fufius differendi. Id certe fauoris veteribus tribuendum effe, arbitror, vt ab iniuftis eos accusationibus defendamus. Nihil oportet profecto falis habeat, & inter ligones ac ftiuas *merum rus* oleat, qui limatifsimis *prifcae* aetatis monumentis non capiatur. Interea forte Hecticander nofter, qui *emendatam artem* fuam *ftilifticam latinam* breui poft ex eadem, qua alios libellos officina mifit, *miiffurus in falinam publicam* dicitur, rectoria docebit, & naeuos iftos, de quibus dictum eft, *emendabit*. Te vero, prudens lector, paucis etiamnum volo. Si tibi hic libellus placet, non mihi, fed Iano Camptono, viro mihi amiciffimo, elegantiffimaque medico fcientia, cuius *diatribe critica de verbo collimare*, paullo ante in lucem emiffa, plaufum prudentiorum meruit, gratias habebis, quum is ad editionem libelli me impulerit. Sin displicet, culpa mea efto, qui neque tuo, nec forte eius defiderio fatisfeci. Vale, & quo magis cum bona mente bonas litteras amas, eo incorruptius iudica.



pon T/d 232

✓
f

ULB Halle 3
004 551 427





sb.

Vol AP = 3

nc








ORATORVM NOVORVM
P I C A
CVM REMEDIO.

SCHEDIASMA
AD VINDICANDAM
VETVSTAE ELOQVENTIAE
DIGNITATEM AC PRAESTANTIAM

PUBLICAVIT
SCIPIO GRATIDIANVS.



VITEMBERGAE, MDCCXXVI.